



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Lourenço, Agostinho

Leodii, 1694

Sectio X. Utrùm Visio Beata sit immediatum principium eliciendi
cognitiones non beatificas eorum, quæ videntur in Deo ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80131)

aut principiis, sed de illis propter defectibilitatem potentiae in agendo, quae ad Visionem beatam, & cognitiones alias in proprio genere eliciendas simul, non videtur sufficiens, ad quam impertinens est repugnantia quoad objecta, aut principia, ut ex dictis constat. Non tertia, quia intellectus ad Visionem beatam per virtutem suam naturalem, saltem inchoatam necessariò concurret, ut cum aliquibus supra probavimus. Adhuc tamen hic:

205. Quæres primò: Utrum Visio beata divinitus communicata homini viatori existenti in corpore mortali, eidem esset causa mortis, ejus unionem physicam dissolvendo? Negativè. Ita *P. Vasq. 1. p. d. 55. cap. 4. num. 18. P. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 30. num. 6. & 7. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 10. sect. 4. num. 37. & alii.* Probatur, quia Visio beata nullam habet repugnantiam, neque physicam, neque moralem cum unione physica; ergo illam non destrueret.

205. Quæres secundò: Utrum Visio beata impediret saltem operationes sensuum interiorum, & exteriorum, ita ut hominem collocaret in extasi perfectà? Negativè. Ita *P. Vasq. 1. part. d. 56. cap. 1. §. Respondeo verò. P. Soar. cit. num. 10. g. & 11. & tom. 2. de Relig. tract. 4. lib. 2. cap. 16. P. Mol. 1. part. art. 11. d. 2. §. Accedit. P. Sal. cit. num. 40. & 42. & alii.* Probatur primò, quia Visio beata, ut diximus, non impedit cognitiones in proprio genere, cum tamen sint ipsi proximiores, utpotè quæ ab eadem potentia producuntur, & in illa recipiuntur; ergo multò minùs impediet operationes sensuum, utpotè quæ magis distant, cum ab aliis potentis producuntur, in illisque recipiuntur radicatis in eodem supposito.

207. Probatur secundò, quia sequeretur esse speciale miraculum in Christo Domino, & beatis hominibus per totam æternitatem, exercere operationes sensuum interiorum, & exteriorum, quod non est facile concedendum; ergo &c. Quod si aliquando divinitus, aut naturaliter data est extasis perfectà, aut imperfecta ex vi contemplationis, vel alicujus alterius illustrationis Divinæ, illa accidit, quia cognitio Dei obscura erat; aut quia communicatio Divinæ Visionis (si alicui facta dicitur) fuit ad breve tempus, & non ita perfectà, sicut in Christo Domino, dum esset in corpore mortali, eritque in Beatis, cum eisdem fuerint reunita corpora gloriosa; per quod responderi poterit ad aliquorum Patrum dicta in oppositum adducta.

SECTIO X.

Utrum Visio Beata sit immediatum principium eliciendi cognitiones non beatificas eorum, quæ videntur in Deo?

108.  Utrum hanc quæstionem in terminis excitavit, neminem dari, se uno excepto, dicit *Agid. tom. 2. de Beatit. lib. 11. q. 7. art. 1. n. 7.* decipitur tamen, ut ex iis, quæ ante ipsum doctè scripuit *P. Gil. tom. 2. tr. 8. cap. 5.* & ex Authoribus statim allegandis constabit, Imò communiter excitari solet in materia de Angelis, quando agitur de locutione, & illuminatione Angelorum. Sensus igitur quæstionis est inquirere: Utrum sicut cognitio creata naturalis potest esse principium immediatum alterius cognitionis

Tom. 1.

terminatæ ad proprium objectum, aut ad partes illius, ita Visio beata de facto sit, aut esse possit Beato principium immediatum eliciendi cognitiones alias non beatificas de Deo, & de his, quæ in Verbo videt, ita ut peculiarem inde hauriat scientiam, secundum quam ipse cognoscat, & cum alio Beato communicare possit? De quo nonnullas breviter excitabimus difficultates: Sit igitur:

Difficultas 1. Utrum Visio Beata possit esse principium immediatum apprehensionis non beatificæ, per quam cognoscatur Deus, & creaturæ, sive simul, sive sigillatim? Affirmativè. Ita *Hispan. in 1. dist. 27. quest. 2. art. 5. Notab. 4. ad 1. Rubion. in 1. dist. 2. quest. 3. art. 1. conclus. 2. & dist. 3. q. 2. art. 2. D. Thom. in 1. dist. 2. art. 3. Capreol. in 1. dist. 8. quest. 4. art. 3. P. Gil. tom. 2. tract. 8. cap. 5. à num. 4. P. Soar. Agid. infra citandi.* Probatur primò à simili cognitionis naturalis, quia intellectus, & phantasia ex notitia totali alicujus objecti naturalis possunt elicere cognitiones alias peculiare, & veluti parciales, quibus separatim cognoscant partes talis objecti, quod in Philosophia diximus; similiter ex cognitione speciei, nempe hominis, potest intellectus elicere cognitionem generis, nempe animalis, aut cujuslibet alterius gradus in homine inclusi; ergo pari modo poterit ex Visione beatifica elicere peculiare apprehensiones non beatificas eorum, quæ per ipsam Visionem beatam cognoscuntur.

Probatur secundò, quia superiores Angeli possunt inferiores illuminare, imò de facto illuminant de iis, quæ ipsi, & non inferiores vident in Verbo, ut ex communi Theologorum probat *P. Soar. lib. 6. de Angelis cap. 14. num. 5.* sed non possunt id præstare per ipsammet visionem, sive conceptum beatificum eisdem formaliter communicatum: tum quia illa communicatio erit impossibilis, tum quia non erit major ratio, cur hæc potius, quam cætera alia, quæ in Deo vident, illis manifestarent; ergo id præstant per alias cognitiones, & conceptus ex Visione beata elicitos.

Probatur tertio, quia Beatus videndo Deum, & in eodem creaturas, potest supra suamet visionem per aliam supernaturalem reflectere, ex qua deinde plures alias cognitiones eliciat ejusdem objecti beatifici; ergo omnium potest esse principium ipsa Visio beata. Confirmatur, quia Beatus ex Visione beata potest elicere plures notitias judicativas non beatas, ut statim dicemus; ergo à fortiori poterit elicere apprehensivas.

Dices 1. Ideò cognitio creata naturalis potest esse principium apprehensionis naturalis circa proprium objectum, aut partes illius, quia cum sit de se corruptibilis, per species, aut cognitiones à se causatas conservatur; sed id locum non habet in Visione beata, cum sit incorruptibilis; ergo &c. Respondeo negando majorem, quæ solum probat de specie memorativa relicta ex actibus naturalibus corruptibilibus potentiarum, de qua infra; de cognitione autem ex notitia creata immediate elicità non concludit, ut exemplis supra adductis convincitur, ex quibus nostra sententia probata est.

Dices 2. Deus, & quæcumque in Deo videntur, perfectissimè cognoscuntur à Beato per cognitionem beatificam; ergo superflua erit alia cognitio non beatifica ex illa causata, per quam minùs perfectè cognoscantur. Respondeo negando consequentiam; nam ad apprehensiones illas datur in Beatis peculiaris necessitas, ut probavimus, & infra magis explicabitur. Accedit, quia omnes Theo-

N

logi

logi admittunt in Beatis cognitiones in proprio genere eorum, quæ videntur per Visionem Beatam, ut patet ex supra dictis: & in Christo Domino plures scientias præter Beatam, quin inde sequatur superfluitas, aut indecentia, imò multò maior nobilitas, & perfectio status Beatifici.

214. Hinc colliges cum *Egid. lib. 11. de Beatit. q. 7. art. 2.* posse Beatum ex ipsa Visione Beatifica elicere cognitiones, quibus distinguat in Deo Attributa Divina inter se, & Essentiam à Relationibus, five Personis, quod ex infra dicendis magis constabit.

215. Difficultas 2. Utrum Visio Beata sit intellectui beato principium immediatum eliciendi cognitiones partiales judicativas non beatas eorum, quæ videntur in verbo? Affirmativè. Ita *D. Thom. Opuscul. 63. cap. 5. & 6. Rubion. in 2. dist. 2. q. 3. art. 1. Conclus. 2. & dist. 3. q. 2. art. 2. Capreol. in 3. dist. 14. q. 2. ad 2. Soncin. ibid. q. 2. ad 2. Scot. in 4. dist. 49. q. 3. art. 3. P. Gil. tom. 2. tr. 8. cap. 5. à n. 8. P. Soar. lib. 6. de Angel. cap. 14. n. 5. Egid. tom. 2. de Beatit. lib. 11. q. 7. art. 2. à n. 2. & alii.*

216. Probatur primò, quia ex verissima sententia, quam ex Sacris Litteris, & Sanctorum Patrum testimoniis rectè probat *D. Thom. cit.* Beati ex Visione Beata in divinas laudes, & gratiarum actiones prorumpunt, Deoque cultum, honorem, & reverentiam exhibent; hi autem sunt actus, seu judicia partialia non beatifica; ergo &c. Confirmatur ex *D. Chrys. apud D. Thom. cit. asserente*, Angelos Deum videndo, ipsam laudare, quosdam ut Majestatem, quosdam ut Bonitatem, sicque de aliis Attributis; hoc autem stare non potest, quin de singulis forment verba, atque adeò judicia partialia; ergo &c.

217. Probatur secundò à priori, quia quæcunque intellectus intuitivè apprehendit, potest per actum iudicii approbare, vel reprobare; sed omnia, quæ intellectus Beati in Deo videt, potest per intellectiones non beatificas apprehendere, ut supra diximus; ergo eadem poterit per partialia judicia judicare.

218. Probatur tertio, quia superiores Angeli cum inferioribus loquuntur, ipsosque illuminant, non solum de rerum, quas in Deo vident, quidditatibus, & terminis simplicibus, sed à fortiori de veritatibus, & connexionibus rerum, quas cognoscunt; idè enim de his alios instruunt, ut latè probat *P. Soar. lib. 6. de Angel. cap. 13. & 14.* huiusmodi autem illustrationes per Visionem Beatam fieri nequeant; ergo ex Visione Beata per cognitiones non beatas judicativas.

219. Probatur quarto, quia Beati possunt politicè agere, atque invicem communicare ea, quæ in Deo vident; sed non per ipsam Visionem Beatificam, ut constat; ergo per propositiones, five cognitiones judicativas non beatificas ab eadem elicitas; cum in hoc nulla appareat repugnantia; imò id maxime cedat in gloriam divinam, & majorem perfectionem status beatifici.

220. Difficultas 3. Utrum ex Visione Beata elici queat species memorativa eorum, quæ cognoscuntur in verbo? Advertes, quæstionem posse procedere, aut de specie memorativà adæquatà, quæ scilicet represententur, tam perfectiones divinæ, quam creaturæ in illis contentæ; aut de inadæquatà, quæ represententur aliqua duntaxat perfectiones divinæ, aut solum creaturæ, prout fuerunt in Deo cognitæ. De specie memorativà adæquatà affirmant *Scot. in 2. dist. 3. q. 9. §. Ad quæstionem. Lycher. Anton. Andreas, ibid. Bassol. q. 1. Prolog. §.*

Sed quidquid. Mayron. ibid. q. 15. art. 2. conclus. 2. & alii. De specie tamen memorativa inadæquatà affirmant plures. Ita *Vincenz. lib. 26. Speculi cap. 110. D. Thom. in 3. dist. 14. quæst. unica, art. 1. quæstioncula 4. Capreol. ibid. quæst. 2. art. 3. ad 3. & alii.*

Nihilominus probabilius sententia, quam sequimur tenet, ex Visione Beata non posse immediatè elici speciem memorativam eorum, quæ videntur in verbo, neque adæquatam, neque inadæquatam. Ita *Alfons. de Toledo, q. 1. Prolog. art. 2. Durand. ibid. q. 3. n. 15. Argentin. q. 3. art. 1. ad 3. Aristodorus, lib. 1. sum. tract. 11. quæst. 3. ad 3. Richard. in 3. dist. 14. art. 2. q. 2. ad 5. & ex parte. P. Gil. tom. 2. tr. 8. cap. 5. à num. 5. & alii.* Probatur, quia species memorativa ad hoc solum ab actibus produci solet, ut eosdem representet in absentia, ut inductione facta constat; sed Visio Beata, utpotè naturâ suâ incorruptibilis, etiam ad breve tempus corrumpi, & interrumpi non potest; ergo non producit speciem memorativam, neque adæquatam, neque inadæquatam, cum sit omninò frustranea.

Dices pro prima sententia: *D. Paulus*, juxta gravissimos Authores, in suo raptu vidit intuitivè Deum, idque per visionem supernaturalem intuitivam; sed ex hac visione relicta fuit species memorativa adæquatà, qua ille postea recordabatur, & Essentia Divinæ visæ, & eorum, quæ in tali Essentia viderat juxta illud 2. Cor. 12. ibi: *Scio hominem raptum, quoniam raptus est in paradisum, & audivit arcana verba, &c.* ergo Visio Beata producit naturâ suâ speciem memorativam adæquatam.

Respondeo primò negando majorem; neque enim *D. Paulus* in eo raptu vidit Essentiam divinam prout supra diximus *d. 1. n. 320.* Respondeo secundò, data majori, negando minorem: nam *D. Paulus* postea fuit recordatus eorum, quæ vidit in verbo, aut per species à Deo immediatè impressas, ut sentiunt *D. Thom. quæst. 8. de Verit. art. 3. & ad 6. Hispanens. & P. Gil. cit. cap. 6. n. 2.* aut per species memorativas immediatè elicitas ex cognitionibus non beatificis, quas habere potuit quamdiu duravit brevis illa visio, & immediatas respectu ipsius visionis. Neque est ulla imperfectio respectu visionis beatificæ carere perfectione fecunditatis, quæ respectu illius potius esset imperfectio, cum huiusmodi fecunditas sit tantum propria cognitionum corruptibilium, ut diximus.

Dices pro secunda sententia: Nulla apparet repugnantia in specie memorativà inadæquatà; siquidem ex illa non sequitur, posse Deum cognosci quidditativè, & abstractivè, sicut sequeretur ex specie memorativà adæquatà; inadæquatam enim non representat divinam quidditatem, ut patet; ergo &c. Respondeo negando antecedens: licet enim ex specie memorativà inadæquatà visionis non sequatur dari cognitionem quidditativam, & abstractivam (quod nullum est inconveniens, ut infra videbimus,) adhuc tamen Visio Beata, etiam in ordine ad suum objectum partiale, est incorruptibilis, ut constat, sicque infecunda in ordine ad speciem memorativam, sicut talis est in ordine ad suum objectum totale.

Quares hæc: Utrum ex Visione Beata elici possit species memorativa, saltem mediatè? Affirmativè. Ita *D. Thom. 1. p. q. 12. art. 9. ad 2. & q. 8. de Verit. art. 5. Caiet. 2. 2. q. 175. art. 4. P. Gil. cit. n. 6.* Proba-

Probatur, quia cognitiones ex Visione Beata immediate elicitæ, cum non sint beatificæ, non sunt ex se incorruptibiles, ut per se constat; ergo possunt immediate producere species memorativas, quæ tamen sint mediata respectu ipsius Visionis Beatae.

226. Difficultas 4. Utrum ex Visione Beata elici possit, imò & de facto Beatus eliciat cognitionem Dei quidditativam abstractivam? Affirmative. Pro hac necessariò stare debent, quæ nobiscum sentiunt, ex cognitione beatificæ posse, & de facto elici plures apprehensiones, & iudicia non beatifica circa ea, quæ in Deo formaliter continentur, quos supra citavimus n. 209. & 215. Potest etiam tribui Doctoribus, qui absolute affirmant, possibilem esse cognitionem Dei quidditativam abstractivam, live non intuitivam, quos refert, & sequitur *Egid. lib. 8. de Beatit. tom. 2. q. 5. art. 2. §. n. 4.* & nos etiam retulimus in *Log. tract. 6. d. 3. n. 154.*

227. Probatur 1. quia Beatus potest ex Visione Beata immediate elicere cognitiones apprehensivas, & iudicativas non beatas, in quibus formaliter represententur quæcumque per Visionem Beata de facto cognoscit, ut supra diximus; sed huiusmodi cognitiones, cum representent, aut repræsentare possint omnia, quæ Beatus in Deo videt, non possunt non esse quidditativæ; & cum sint cognitiones non beatificæ, sed ex beatifica elicitæ, non possunt non esse abstractivæ, ut patet; ergo &c.

228. Probatur secundò, quia Beatus, sive Angelus, sive homo loqui potest cum alio Beato de iis omnibus, quæ in Deo videt, & de modo, quo illa intuetur, ut ex supra dictis constat, & liberaliter concedit *P. Soar. lib. 6. de Angel. cap. 14. n. 5.* ubi etiam affirmat, Christum Dominum, etiam si non haberet Scientias infusas in proprio genere, adhuc posse revelare ea, quæ in verbo videbat, quod absque peculiari cognitione non beatificæ fieri non posset; sed Beatus de illis loqui non potest, nisi efformando propriam cognitionem, quæ, cum terminetur ad ea, quæ in Deo videt, necessariò erit quidditativa, cum tamen non sit intuitiva, ut patet; ergo &c.

229. Probatur tertio, quia non repugnat, repræsentari abstractivè aliquas perfectiones spectantes ad quidditatem; ergo neque sic abstractivè repræsentari omnes illas, quæ necessariò sunt ad totā quidditatem Dei; consequenterq; dabitur cognitio quidditativa nō intuitiva, sed abstractiva Dei. Probatur consequentia, quia existentia Dei, & præsentia illius, de quibus solet controversi, repræsentari possunt in se immediate, aut per species alienas, sicut de facto repræsentantur per media creata naturalia, & supernaturalia, & per revelationem obscuram; aut per species à Deo infusas obscuras; ergo prout sic cognoscuntur solum abstractivè; ergo à fortiori poterunt sic cognosci aliæ perfectiones ad quidditatem Dei spectantes.

230. Probatur quartò, quia Deus, (non enim repugnat,) potest revelare alicui viatori per species, & lumen Fidei obscurum suam ipsius quidditatem; sed, hoc posito, viator ille efformabit cognitionem abstractivam de quidditate Dei; siquidem ut actum Fidei circa sibi revelata eliciat, illa omnia per simplicem apprehensionem debet prius cognoscere; talis autem cognitio intuitiva non est, ut per se patet; ergo abstractiva quidditativa.

231. Probatur quintò, quia quando Angelus Beatus cum alio loquitur de iis, quæ videt in Deo, id

facit imprimendo in intellectu illius speciem, quæ repræsentet objectum, de quo loquitur, & eo modo, quo de illo loquitur, quoad omnia scilicet, quæ in eo videt, ut necessariò fatetur *P. Soar. lib. 2. de Angel. cap. 27. à n. 32. & lib. 6. cap. 14. à n. 8.* quod nos tamen non admisimus in *Log. tr. 3. d. 3. à n. 67. 4.* ergo dari potest species Dei quidditativa abstractiva elicitæ, quæ sit principium cognitionis in Angelo audiente; sed hæc semper supponit cognitionem non beatificam ejusdem objecti repræsentativam in Angelo loquente, ut ipse *P. Soar. cit. concedit; ergo &c.*

Oppositum tenent *P. Soar. in Met. d. 30. sect. 11. n. 22. & 1. p. lib. 2. de Attrib. cap. 18. num. 4. & 3. p. d. 27. sect. 5. §. Primus modus. P. Vasq. 1. p. d. 134. cap. 3. n. 6. & 7. P. Ariaga 1. p. d. 11. n. 17. Durand. q. 3. Prolog. num. 8. 12. & 13. Zumel. Cabr. & alii apud Egid. lib. 7. de Beatit. q. 5. art. 1. pro quibus: Argues 1. Cognitio quidditativa Dei necessariò terminatur ad illius existentiam, utpotè quæ ad illius quidditatem spectat; sed cognitio terminata ad rem existentem quæ talem semper est intuitiva; ergo Cognitio quidditativa Dei non potest esse abstractiva. Respondeo negando minorem: cognitio enim terminata ad rem existentem quæ talem potest non esse intuitiva: Primò si ad illam non terminetur immediate, sed ex alio prius cognito: Secundò si terminetur ad illius existentiam immediate, non tamen in actu exercito, sed in actu signato; sic enim recordatio rei existentis aliquando ad ipsius existentiam tendit, semper tamen abstractivè, ut ait *P. Mol. 1. p. q. 1. art. 2. d. 7.**

Argues 2. Ideò cognitio illa terminata ad Deum existentem, & præsentem non esset illius intuitiva, quia ad ipsum ut præsentem non terminaretur; sed hoc est falsum; siquidem si non cognosceretur ut præsens, cognosceretur ut absens, quod non est dicendum, cognosceretur enim ut est, sicque neque absens à loco, neque à tempore; ergo &c. Respondeo negando majorem; licet enim illa cognitio terminaretur ad Deum præsentem immediate, adhuc non esset intuitiva, quia ipsius præsentiam non repræsentaret in actu exercito, ita ut existentia, & præsentia exerceant rationem objecti immediate moventis, & terminantis actum potentia.

Argues 3. Impossibilis est species impressa quidditativa abstractiva Dei, ut probat *P. Soar. in Met. d. 30. sect. 11. num. 23. Zumel. 1. part. q. 56. art. 3. quest. 1. §. Sed his. Cabr. 3. part. quest. 11. art. 1. d. 5. §. 6. num. 118.* ergo etiam impossibilis erit expressa. Respondeo primò negando antecedens, ut tenent *P. Mol. 1. p. q. 1. art. 2. d. 3. & quest. 56. art. 3. P. Gil. tom. 2. tract. 11. cap. 14. P. Sal. 1. 2. tract. 2. d. 3. sect. 7. n. 32 & d. 5. sect. 2. num. 30.* Respondeo secundò, dato antecedente, negando consequentiam; cognitio enim Dei, de qua loquimur, neque fit, neque postulat fieri, seu produci ab specie impressa, sed ab ipsa Visione Beata, ut ex supra dictis constat. Vide quæ diximus in *Log. tract. 6. d. 3. an. 155.*